

[fol. 297r]

Gynandra Diandra.

Character Generis:

CAL. Perianthium duplex, inferum:

exterius triphyllum, laterale, foliolis oblongis, acutis, unum tantum latus
Calycis interioris includentibus.

interius monophyllum, cylindricum, sexfidum: tubo germi adnato,
longitudine calycis exterioris; laciniis erectis, oblongis, concavis,
longitudine fere tubi.

COR. monopetala, tubuloso-campanulata. Tubus cylindricus vix calycis
longitudine, versus faucem parum ampliatus. Limbus sexpartitus, laciniis
oblongis, obtusis, patentibus, apice reflexis.

Nectarium, Squamulae duae petalinae, obovatae, Stylo sub Stigmatibus affixae,
patentes.

STAM. Filamenta duo, brevissima; singulum inter Stigma et Nectarii
Squamulam affixum pistillo. Antherae obovatae, erectae.

PIST. Germen ovale, longitudine tubi calycis, eique adnatum. Stylus
cylindricus, erectus, longitudine tubi corollae. Stigmata duo patentia, sub-
barbata, Staminifera.

PER. Capsula? ovalis, unilocularis, polysperma.

SEM. plurima, minima, scobiformia, receptaculo columnari in medio
capsulae adnata.

Species.

Sedifolia. 1. Forsteria.

Caulis herbaceus, prostratus, flexuosus, subramosus, adscendens, tenuis
[fol. 297v] articulatus, palmaris, brunneo-ferrugineus: Rami erecti, foliosi.

Folia sessilia, imbricata, obovata, acutiuscula, integerrima, laevia, carnosae,
adpressa, apice patenti-reflexa, avenia, enervia, parva.

Pedunculi solitarii, uniflori, terminales ex apice ramorum, filiformes, erecti,
palmares, rubicundi; rarissime biflori.

Flores albi, fauce, et calycis interioris laciniis rubentibus; magnitudine
circiter semipollicari.

Habitat in Novae Zeelandiae parte maxime Australi, in Summis montium
altissimorum cacuminibus.

Sequuntur Expolitiones Botanicae aliquot, quas Equiti Celeberrimo, eâ quæ par est reverentiâ offert G. Forster, Filius.

1) Dodonæa viscosa: procul dubio, Classem Polygamiaë intrare debet, quum in Insulis maris australis intra Tropicos perfectè Dioicam; extra Tropicos vero, in Nova (scilicet) Zeelandia hermaphroditam reperimus.

2) Naucleæ orientalis. Character emendatus.

CAL. Perianthium proprium pentaphyllum foliolis (5. 6. 7.) oblongis, pedicellatis, pentagonis, argenteo-villosis, apice rufescentibus; pedicellis longitudine foliolorum sericeis, basi coalitis filiformibus: Corollæ sub efflorescentiâ in longitudinem et crassitiem indies crescentes, calyces omnes propellunt, ita ut Capitulum florens ne vestigia quidem perianthii ostendat; unde tu forte, Vir celeberrime, florem calyce destitutum dixisti in Generib[us] Plantar[um].]

PER. Capsula infera, minima, ovata, truncata, villosa, subquadrangula, quadrivalvis, unilocularis, polysperma; observante Andreâ Sparrmanno nostro.

SEM. elliptica, parva, compressa, scabra, receptaculis duobus propriis cylindricis affixa, plura. Rheed. H.M. p. III, pag. 29. t. 33. fig. satis bona.

[fol. 298r]

3) Panicum dimidiatum. Est nobis Ischæmi species, ex insulis intra Tropicos sitis reportata, quam ex figuris suspicor eandem cum Tuo Panico dimidiato esse, nescio quidem, an descriptionem tuam in Mantissa p. 323. ipse ex vivo vel ex sicco specimine perfectisti, vel an alienis descriptionibus fisis, inter Panica recepisti plantam, revera Ischæmis adnumerandam?

4) Erithalis fruticosa. Classis Polgamia Dioecia:

Frutex Masculus: Florescentia dichotoma, paniculata, flore inter divisuras sessili; huic Corolla semper 4-fida. Stamina 4. Stylus brevissimus; Germen nullum. Cal. 4 dentatus rarius 5 dentatus.

Frutex Hermaphroditus. Flores axillares solitarii, pedunculo, apice bracteis geminis subulatis terminato. Cal 5. s. 6 dentatus persistens. Cor sæpius sexfida, laciniis latioribus quam in flore masculo. Pistilli germen fertile. Stylus longitudine corollæ. Stigmata 4. s. 5. filiformia conniventia. Bacca globosa, polysperma, loculis indistinctis, (decem.)

Timonius Rumph. Amboin. tom III. pag. 216. tab. 140, hujus generis forte etiam ejusdem speciei erit, quum folia mirè varient in hac planta.

5) Ceanothus asiaticus, frutex in insulis intra Tropicos frequentissimus: habet Stylos tres distinctos, deciduos sub inflorescentiæ finem, Succedente in locum eorum, poro mellifero. Fructus est Capsula hemisphærica trilocularis, trivalvis, valvulis dehiscens, seminibus solitariis: An igitur distincti generis a Ceanotho virginiana?

6) Hibiscus populneus? Rheed. H. Malab. p. I. tab. 29.

CAL. Perianthium duplex: exterius triphyllum foliolis linearibus acutis, revolutis, fusco-punctatis, basi vix cohærentibus, facillimè deciduis ante floris eruptionem.

—— interius monophyllum ovatoglobosum, persistens, vix obsolete quinquedentatum.

PER. Bacca sicca, globoso-depressa, atra, acuminata, apice obsolete pentagona, quinquelocularis, non dehiscens.

SEM. in quovis loculo quatuor, ovata, angulata, brunnea, villosa.

Certe hæc nostra cum Rheedii eadem est Planta; sed an Hibisci populnei Tui differentia Specifica sit emendanda, vel an Rheedii synonymon excludendum sit, nunc apud Te [fol. 298v] erit iudicium. D. Solander novum ex hac planta condidit genus, Thespesiæ nomine.

Pauculas parvique momenti observatiusculas serenâ quæso accipias fronte, in testimonium amoris quo Scientiam Naturalem persequi, est et semper fuit mihi animus. Denique generatim dicta subjungam sinas, quæ scilicet. Genera cognita, plurima incrementa capesserint in nostro ac Banksii itinere.

Veronica plures species novas e maris Australis insulis accepit. Banksius in Nova Hollandia ingentem messem plantarum legit, Brabejum cum aliis generibus cognatis connectentem; pluraque nova Genera exinde condidit; Embothrium nostrum, Nov. Gen. Plantar. 8: huc quoque spectat.

Convolvulum et proximum ac vix distinguendum ab eo Genus Ipomoeæ, etiam Banksius novis speciebus ditavit. Rondeletiæ, Portlandiæ, Cinchonæ, Psychotriæ, Coffeæ, Chiococcæ, Celastro, Echiti, singulis, novam speciem intulimus; Antherica dua nova, Berberis species duas, reperimus. Loranthi innumeram familiam e Nova Hollandia retulit Banksius, nobis tantum binæ species novæ innotuerunt. Idem Banksius plures Species Weinmanniæ in Nova Zeelandia nactus est, nos unicam, foliis simplicibus. Gualtieriæ nova species in Nova Zeelandia crescit. Terræ magellanicæ Arbuti binas species nondum descriptas alunt. Inter Myrtos & Philadelphum, novum inseruimus Leptospermi genus, quod plures species Metrosideri Rumph. complectitur; eique adscripsimus Melaleucam tuam. Chelones novam speciem in Terris magellanicis vidimus, Citharexylum novum in Nova Zeelandia. Lepidii

species binas in maris australis insulis crescunt. Gnaphalia quatuor nova habemus, Asterem, Amellum, Arnicam, Cotulam unam. Epidendra 12 nova nobis, Banksio plura. Passifloram unam in parte occidentali maris pacifici, ergo ab America remotissimam reperimus. Mimosæ plures Banksio sunt species pulcherrimæ simplicifoliæ, nobis unica, quam et habet Rumphius, tom. III. t. 81. Mangium montanum dictam.